



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Anglorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

erga sedem apostolicam impediret, præsertim in illo negotio quod super imperij Romani ordinatione versatur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum.

## TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 16.

**G**ravem contra te nobis venerabilis frater noster Colonienfis Archiepiscopus querimoniam destinavit, quod cum ei juramento præstito promisisses te recepturum & habiturum pro Rege quem ipse reciperet & haberet, & ut hoc plenius observares, thesaurum Colonienfis Ecclesiæ pro certa tibi pecunia obligasset, tu hæcenus nec juramentum servasti, nec restituisi thesaurum. Quia verò secundum Apostolum sapientibus sumus & insipientibus debitores, unde nec volumus nec debemus postulantis justitiam denegare, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si res ita se habet, eidem Archiepiscopo taliter satisfacias de præmissis quod ei justa de te non remaneat materia conquerendi. Alioquin & thesaurum illi restituis, & de juramento non observato te nostro conspectui responsurum usque ad initium quadragesimæ præsentis. Quod si facere fortè contempseris, noveris nos venerabili fratri nostro Cameracensi Episcopo dedisse firmiter in mandatis ut sublato contradictionis & appellationis obstaculo te ab officio pontificali suspendat, tuamque nobis non differat contumaciam intimare. Datum.

*Cameracensi Episcopo scriptum est super hoc.*

MAGVNTINO ARCHIEPISCOPO,  
Episcopo Sabinenfi.

Epist. 17.

**C**arissimus in Christo filius noster Otto, de quo in Regem electo & coronato quid nobis complaceat, tua, sicut credimus, fraternitas non ignorat, gravem nobis querelam contra Landgravium Thuringiæ destinavit, quod cum ei fecisset hominum & fidelitatem jurasset, de manu ejus multis præsentibus regalia recipiens cum vexillo, & ut plenius & firmitus quod juraverat observaret, certam illi dedisset pecuniæ quantitatem & Northusiam contulisset in feudum, ipse tamen & quod juraverat non servavit, & adhuc detinet quæ recepit. Nos autem in hoc fraternitati tuæ cupientes deferre, quam sincera diligimus caritate, cum idem Landgravius neptem tuam habeat in uxorem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum ex parte tam nostra quam tua moneas attentius & inducas ut si fortè juramenti religionem contra salutem & famam suam transgredi non veretur, saltem restituat quæ recepit. Alioquin, quantumcunque sibi deferre pro tuo velimus honore, quia tamen facti sumus secundum Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, unde nec volumus nec debemus postulantis justitiam denegare, ipsum ad alterum prædictorum per excommunicationem in personam & interdictum in terram secundum officij nostri debitum compellemus. Datum &c.

*Cameracensi Episcopo scriptum est super hoc.*

## ILLVSTRI REGI ANGLORVM.

Epist. 18.

**I**lla te cordis puritate diligimus ut quoties ea nobis de tuis actibus referuntur quæ prudentiam resonant & virtutem, jucundo tibi congratulemur affectu, & si quid fortè de tuis audimus operibus quæ famæ tuæ derogant & honori, mæsto tibi spiritu condoleamus, cupientes ea te semper efficere quæ ad profectum & exaltationem regni sublimitatis accedant, & ab iis penitus abstinere quæ tibi vergunt ad injuriam & jacturam. Sanè quid egeris circa carissimum in Christo filium nostrum Ottonem nepotem tuum tua te conscientia conveniat & accuset, & utinam ita satagas super hoc tuum errorem corrigere ut infamiam aboleas & jacturam. Quia verò, quantumcunque tibi deferre velimus, postulantis justitiam nolumus denegare, cum secundum Apostolum sapientibus sumus & insipientibus debitores, ad gravem prænominati nepotis tui querelam paternum respectum habentes, serenitatem tuam moneamus attentius & exhortamur in Domino, per apostolica scripta mandantes quatenus pecuniam quam inclytæ recordationis Richardus Rex frater tuus ei testamento legavit, ad cujus solutionem juramento diceris obligatus, ipsi solvere non omittas, ut sua saltem illi restituas qui de tuis ei debueras subvenire. Alioquin nos in sua sibi justitia nulla deerimus ratione quò minus secundum officij nostri debitum procedamus. Datum.

*Cantuariensi Archiepiscopo scriptum est super hoc.*

DELIBERATIO DOMINI PAPÆ  
Innocentij super facto imperij de tribus electis.

Epist. 29.

**I**N nomine patris & filij & spiritus sancti. Interest apostolicæ sedis diligenter & prudenter de imperij Romani provisione tractare, cum imperium noscatur ad eam principaliter & finaliter pertinere; principaliter, cum per ipsam & propter ipsam de Græcia sit translatum, per ipsam translationis aëtricem, propter ipsam melius defendendam; finaliter, quoniam Imperator à summo Pontifice finalem sive ultimam manus impositionem promotionis propriè accipit, dum ab eo benedicatur, coronatur, & de imperio investitur. Quod Henricus optimè recognoscens, à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro, post susceptam ab eo coronam, cum aliquantulum abscessisset, rediens tandem ad se, ab ipso de imperio per pallam auream petiit investiri. Sicut autem nuper tres sunt in Reges electi, puer\*, Philippus, & Otto, sic tria sunt circa singulos attendenda, quid liceat, quid deceat, quid expediat. Circa puerum quidem filium Imperatoris Henrici facie prima videtur quod non liceat contra ejus electionem venire, quæ\* juramento est Principum roborata. Nam et si juramentum illud videatur violenter extortum, non est tamen ideo non servandum, cum licet juramentum quod Gabaonitis præstiterunt filij Israël fuerit per fraudem subreptum, illud tamen nihilominus decreverint observandum. Præterea et si à principio fuerit sic extortum, postmodum tamen pater ejus intelligens se per-

Vide Roger de Hoveden ad an. 1200. pag. 799. & 801. edit. Francof.

\* id est, Fridericus Rex Siciliae.

\* Vide gesta Innoc. III. cap. 19. & Godfrid monac. S. Pantaleon. ad ann. 1196. & 1199.